Q. D. B. V.

MEDICÆ FACVLTATIS DECANI

JO. HADRIANI SLEVOGTII,

MED. D. ET P. P.

INVITATIO SOLENNIS

AD

INAVGVRALEM DISSERTATIONEM

DE

INFELICI HYDROPIS SACCATI CVRATIONE

CVM

PROLVSIONE

DE

MEDIIS MORBOS EXPLORANDI NATVRALIBVS.

JENÆ,

LITERIS NISIANIS, excudebat JO. VOLCKMAR MARGGRAF.

31a

Q. D. B. V.

MEDICÆ FACVLTATIS DECANVS
BENEVOLO LECTORI
S. P. D.

Quamvis inauguralis de *vulnerum exploratione* diſſertatio, nuperrime ſub noſtro præſidio ventilata, *neceſſitatem* hujus operationis, in iſta frequentisſime occurrente chirurgicorum morborum ſpecie expoſuerit, & ſimul in proluſione invitationis ad ſolennem diſputationis actum, *dignitas* & prolixus, ad omnes reliquas operationes ſeſe extendens *uſus* demonſtratus ſit: multa tamen adhuc de ea dicenda reſtant. Ex quibus hoc loco, ubi clarisſimus Doctoralium in Medicina honorum Candidatus

JOANNES SEBASTIANVS STEVBE

Kaltennortheimenſis Hennebergicus,

Pro Licentia, eosdem legitime impetrandi, de *infelici hydropis ſaccati curatione* diſputabit, & nobis denuo amplisſimum auditorium convocare incumbit, in præſentia *media, morbos explorandi naturalia*, & in ipſo explorante exiſtentia, prout ea ab artefactis, & extrinſecus petendis, differunt, breviter enumerabimus, &, aliud quaſi agentes, eorum utilitatem in hydrope, ejusque ſpeciebus cognoſcendis atque diſtinguendis, declarabimus.

Reſe-

Referuntur iſta media in Jünckenii *Compendio chirurgiæ manualis abſoluto* (& alicui MSto latino, a B. Bohnio, diu ante editionem hujus libelli, auditoribus in calamum dictato, adeo ſimili, ut illud ex hoc natum videatur) p. 2, ad duas claſſes, quarum *una* externos ſenſus comprehendit; cum horum ope primæ pariter, ac ſecundæ qualitates, nec non figura & quantitas continua diſcretaque male affectarum regionum deprehendantur, & intellectus judicio offerantur. Alteram claſſem *ratio* conſtituit, quando, verbis Bohnii, *per ratiocinationem, & bonam ſaltem conſequentiam, morbos, Chirurgi opem poſtulantes, dignoſcimus variis modis; v. g. ex lædentis inſtrumenti conditione de læſione ipſa judicamus; dum mediante filo, dentibus prebenſo, fortiterque intento & percuſſo; aut ex corporis cujusdam durioris commorſione; aut certorum emplaſtrorum applicatione, fracturas cranii exploramus: Item, dum ex ſymptomatibus de affectus ſubjecti magnitudine, cauſis, &c. ferimus judicium.*

Verum videtur iſtiusmodi διχοτομία non admodum neceſſaria, ſiquidem cognitio morbi, per ſenſus facta, ab ea, quæ ratio ſuppeditat, divelli nequit. Sunt enim cauſæ ſociæ; & ſicut, absque revelatione, nihil in intellectu eſſe dicitur, quod non prius in ſenſu fuit, ſolaque mens haud quicquam de ægri ſtatu definire valet, niſi prius ejus querelas auribus hauſerit, aut oculis, naſo, manibus, læſæ partis ſtatum perceperit: ita ſine rationis directione ſenſuum opera infida, prorſusque manca, ne dicam impoſſibilis exiſtit.

Probant hoc ipſa exempla modo allata. Si enim ex inſtrumenti lædentis conditione, aut per reliquas lau-

datas ἐγχείρεσις de vulneribus & fracturis aliquid colligimus, tunc equidem cognitio ab externis ſenſibus oritur, ſed accedit ſtatim ratio, & ideas, ad ſuum tribunal delatas, dijudicat & æſtimat: & contra nil, de quo judicium ferre queat, habet, niſi id per ſenſuum miniſterium ipſi ſuppeditatum fuerit.

Quando igitur inſtrumenta *naturalia*, ab *artificialibus* diſtincta, nominamus, ſemper ea *animata*, & in explorante, ſana mente prædito, ſita intelligimus, quæ ita comparata ſunt, nt modo per unicum eorum quantitas & qualitas læſionis detegatur, modo ſimul duo aut tria requirantur, ut quisnam, & qualis, & quantus a naturali ſtatu receſſus ſit, cognoſcatur. Patebit hoc ex ſequentibus, ſi per exempla aliqua ſingulorum ſenſuum vires experiemur.

Nudis enim oculis, in *integra* corporis ſuperficie, tumores, variæ figuræ, magnitudinis & coloris occurrunt, quorum peculiaris habitus & ſitus nos poſtmodum ad alias, magisque ſpeciales differentias manuducit: inprimis ſi aliorum ſenſuum miniſteria in auxilium vocaverimus. Ita ex ſuggillatione lapſum aut contuſionem præceſſiſſe, aut ſcorbuticum ſanguinem alicubi ſubſtitisſe judicamus. Par ratio eſt, ſi tumores in herniis, hydrope, oedemate, phlegmone, gangræna, ſphacelo, anthrace, &c. a ſeinvicem diſcernendi ſunt, ubi tactus viſui jungendus eſt: id quod etiam in luxationibus, fracturis, depreſſionibus cranii, coſtarumque locum habet, ubi oculus figuræ quidem vitium cernit, reliquas autem notas manibus, imo & auribus relinquit. In ſoluta ſuperficie ſunt vulnera puncta & cæſa, ulcera item & caries, cario luxurians, pus bene vel male coctum, &c. Quod ſi per regiones

giones corporis imus, videmus in oculis ſtrabiſmum, cataractas, ophthalmiam, lagophthalmiam, ægilopem, hypopyon, hordeolum: in naſo polypum, ſarcoma, hæmorrhagiam: in ore labium leporinum, adſtrictum frænulum, ranulam, aphthas, linguam male conſtitutam, palatum perforatum, epulidem, dentem carioſum, uvulam laxatam, tonſillas tumentes: intra fauces anginam, ſpinam infixam, exterius collum a ſpaſmo inclinatum, ſtrumas: in dorſo gibberes, ſpinam dorſi diſtortam: in infimo ventre penis chordam, phimoſin, prolapſum vaginæ, uteri, foetum in partu hærentem, ficos ani, criſtas, hæmorrhoides &c. quibus accedunt, quæ ab oculo, per ſpecula armato, in naſo, auribus, faucibus, utero & ano revelantur.

Neque telorum contemplatio utilitate caret: cum ex obtuſo contuſio, ex acuto profundior ejus immerſio concludenda ſit, & cruor gladio adhærens, quousque hic penetraverit, patefaciat.

Per olfactum ſordidam in naſo ocænam, & carioſam oſſium in ulcere corruptionem detegimus: nec foetus ac ſecundinæ, in utero putreſcentes, adſtantium nares latere ſolent. Lotii odor bonus & malus aſſumta prodit.

Per auditum ex ſono percuſſi abdominis tympaniten, ex fluctuatione autem undoſa aſciten, & in pectore pus aut aquam natare, ex ſtridore oſſis dolorifico ejus fracturam, & ex crepitu articulum ex ſua ſede motum, iterumque in eam repoſitum colligimus. Ubi obiter notamus: ante aliquot annos Medicum pariter ac Chirurgum, oſteologiæ non ſatis peritos, per talismodi ſonum (da es geſchnappet) deceptos fuiſſe, ut tres humeri condylos in ulnæ & radii glenes plene repoſitos

 crede-

crederent, cum tamen æger manum ad faciem attollere nequiret: donec glenen radii adhuc vacuam, cubitique condylum internum nudum ſine receptaculo, quod ulna ipſi dare debuiſſet, relictum eſſe, per contrectationem, & comparationem cum ſceleto ipſis a nobis oſtenderetur.

Inprimis autem auditus officio opus habet, qui per reſponſiones, ad quæſtiones, ipſi decumbenti & adſtantibus, de tempore & modo læſionis, eamque excipientibus ſymptomatibus, nec non de doloris in percuſſo aut contuſo membro ſitu, quantitate & qualitate, hinc percutientis robore & inſtrumenti ſpecie, ægrique valetudine, antequam is læderetur, integra vel morboſa, & aliis circumſtantiis, ſcitu dignis, propoſitas informari cupit, ut naturam morbi penitus cognoſcat, & hinc certiorem prognoſin, medendique methodum efficaciorem formare queat.

Lambunt nonnullæ matres & nutrices frontes infantum, ut ex ſalſo ſudore de eorum adverſa valetudine certæ reddantur: quas delicias illis linquimus. At *guſtu* ſanguinem aut excrementa ægrotantium, in eorum præſentia examinare, quod Medici nonnulli, ſerviliter & abſurde officioſi, facere non erubeſcunt, infra dignitatem honeſti viri eſt, & in dehoneſtamentum artis cedit.

Reſtat *tactus*, cujus potiora inſtrumenta manus vel ſola vel aliis ſenſibus combinatæ, variisque machinis artefactis inſtructæ ſunt. Per eas enim nudas, præter pulſum arteriarum, vitalis facultatis robur ac debilitatem ſignificantem, ex primis qualitatibus calor excedens in eryſipelate & gangræna, deficiensque in oedemate & ſphacelo proditur: ex ſecundis aſperitas & lævitas ſuperficierum, nec non durities & mollities, prementibus digitis magis vel minus cedens, innoteſcit, ut ſciamus, num abſceſſus apertioni maturus ſit, quod mollities ejus indicat; quæ etiam oedema, & tunicatos tumores a ſcirrho, utpote minime tractabili dirimit, ſimulque inter illos differentiam palpabilem conſtituit. Cum meliceris promte comprimatur & celeriter reſiliat, oedema & atheroma autem foveam impreſſam aliquamdiu retineant, ſteatoma ægre cedat, & tardisſime reſurgat, iuque hiſce omnibus nullus dolor excitetur; cum inflammata pars con-

tactum

tactum non ſin triſti ſenſu ferar. Sic porro per *pulſum* tumoris mollis aneurisma a varice & fungo abit, ſedulaque contrectatione fractura rum ſpecies opus habent, ut ſciamus, num os ſecundum longitudinem fibrarum, per modum aſſeris, fiſſum, an, inſtar caulis, transverſim ruptum, an vero in minutas particulas contuſum ſit. Haud ſegnius herniæ explorandæ ſunt, quas inteſtina, omentum, aqua, flatus, caro, vaſa conſtituunt, ut curatio contra continentem cauſam dirigatur. Ἀνὴρ ἐργάτης, ut Hippocrates vocat Lithotomum, ſolo digito, in anum inſerto, calculum veſicæ, & obſtetrix oris uterini hiatum, foetusque ad exitum proclivitatem explicatur.

Plura perſequi limites Proluſionis vetant: ut proinde, quæ in intentione prima erat, brevis ſcilicet vitæ & ſtudiorum clariſſimi noſtri Candidati hiſtoria, jam expedienda ſit: cujus patria Kaltennordheim, oppidum Hennebergiæ eſt, ubi A. O. R. MDCXCII d. 9 Junii, patrem nactus eſt Dn. Jo. Erneſtum Steubinm, dum viveret artis pharmaceuticæ peritisſimum, remediorumque haud infelicem diſpenſatorem. Mater eſt Anna Maria, B. Dn. M. Joannis Pfündelii, Decani quondam in patria plurimum reverendi, filia. Primas lineas pietatis & literaturæ duxit Dn. Jo. And. Pfündel, quas B. Dn. Vogt, exul Hungarus auxit, & poſtmodum in Iſenacenſi Gymnaſio clarisſimi viri, Dn. M. Jo. Chr. Zeidler, Rector, & Dn. M. Rud. Chr. Haſſelbart, ConRector eo usq; extenderunt, ut anno hujus ſæculi duodecimo, menſi Aprili, cum prius domi artem pharmaceuticam ſibi familiarem reddidiſſet, a magnifico ProRectore D. D. Struvio, Conſiliario Saxonico & Brandenburgico, Hiſtorico Ducali, & Hiſtoriar. P. P. celeberrimo, Collegiique Philoſophici Seniore gravisſimo, in album Studioſorum receptus, in Scholis Hambergerianis & Syrbianis, futuro Medico neceſſarias Philoſophicas diſciplinas apprehendere, & hinc cum maximo fructu illuſtr. D. D. Georg. Wolffg. Wedelii, Hereditarii in Swarza, Com. Pal. Cæſ. Sacræ Cæſar & Cathol. Majeſt. ac Sereniſſ. Saxoniæ Ducum Conſiliarii, Vinarienſis aulici & Archiatri, Prax. & Chim. P. P. famigeratisſimi, totiusque Academ. & Med. Facultatis Senioris venerandi, conſtans in omnibus medicinæ partibus auditor eſſe potuerit. Nec & egregiam occaſionem ex magnifici atque excellentisſimi Dn. Jo. Adolphi Wedelii, Phil. & Med. D. Theoret. P. P. celeberrimi, Conſiliarii & Archiatri

Saxo-

Saxonici Medicique Provinc. Vinarienſ. meritisſimi, acroaſibus phyſiologicis, patholog. ſemiot. de meth. med. febribus, morbis mulierum, infantum, & externis, chimicis item & tartarologicis, publicaque viri anatomia, & judicialibus ſectionibus proficiendi intermiſit. Interfuit etiam explicationibus publicis aphoriſmorum Hippocratis, aliisque privatis, ut & diſſectioni in theatro corporis foeminini & maſculini excellentiſſimi Dn. Jo. Jacobi Fickii, Phil. & Med. D. hujusque Profeſſoris ordinarii celeberrimi, & Archiatri Vinarienſis ſpectatiſſimi.

Mihi, laborioſas Profeſſionis meæ partes exequenti, ſedulo adſtitit, & inprimis in quinque publicis anatomiis auxiliatrices manus commodavit. Nec unquam in creberrimis ſolennibusque diſputationibus opponentis ſpartam in ſe ſuſcipere detrectavit, egregiumque ſuorum profectuum ſpecimen publico dedit, cum ſub prænobilisſimi D. D. Chriſtiani Wucheri, experientiſſimi Practici, & Poliatri Jenenſis, optime meriti, præſidio de corpulentia nimia cum applauſu diſputaret.

Ne etiam ad judiciales ſectiones aliquando adhibitus, jurium ignarus eſſet, & inquiſitorum Defenſoribus, judicia medica virorum honeſtorum, &, ſecundum conſcientiam, de lethalitate pronuncian-tium, hiſtrionico ſtylo ſcurriliter exagitantibus reſiſtere valeret, Ditmarianas atque Braunianas Inſtitutionum & Jurisprudentiæ Struvianæ interpretationes auſcultavit.

Tot ejusmodi eruditionis præſidiis inſtructus, dudum An. MDCC XIX, a Collegio medico primum honorum gradum Baccalaureatus accepit, quem in Doctoris titulum permutaturus, reliqua ſpecimina abſolvet, & inſtante die XIX Aprilis, ſub meo præſidio, de infelici hydropis ſaccati curatione diſputabit. Quem actum magnificus ProRector, celſiſſimus S. R. I. Comes de Solms, Proceres Aulæ & Academiæ, omniumque dignitatum Cives, & nobiliſſ. Studioſa juventus ſua præſentia dignari velint, eſt quod obſervanter, officioſe, & amice ab omnibus peto. P. P. Sub Facultatis ſigillo d. XIV Aprilis, M DCC XXI.

(L. S.)